





2762.

Q. D. B. V.

1671, 15 34

DISCURSUS JURIDICUS,
DE

JURIS & FACTI IGNORANTIA.

Quem

Magnifico Jureconsultorum Or-
dine annuente

SUB PATROCINIO

*Viri Plurimum Reverendi, Pranobilissimi, Amplis-
simi, Consultissimi atque Excellentissimi*

DN. BARTHOLOMÆI LEONHAR-
DI SCHWENDENDÖRFFERI,

Jureconsulti celeberrimi, Codicis Professoris Publi-
ci, Curiae Supremae Provincialis ac Facultatis Juridicae Assessoris me-
ritissimi, Praesulatus Martisburgensis Canonici & Academiae De-
cemviri gravissimi,

*Domini, Patroni, Promotoris atque Praeceptoris sui
obsequioso animi cultu at a tem prosequendi,*

Examine publico sistit

Gottlieb MILICHIUS, Lignic. Sil.

Autor

In Acroaterio Jctorum Petrino

d. 23. Maji. Anno 1671.

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.

9.

Nono Die



Q. D. E. V.
Discursus Juridicus
DE
JURIS & FACTI
IGNORANTIA
Auctoris
Gottlieb MICHELIS, J. C. S. P.
Auctor
In demselben Verlage von
L. G. H. A. S. S. A. N. S. T. A. T.
LITTEAE CHRISTIANI MICHELIS





In nomine Domini nostri JESU CHRISTI!

PROOEMIUM.



Ignorantiam ignarus aggredior, Doctrinam, in quâ explicandâ maximi Doctorum desudarunt, ego, qui in subselliis eorum vix ultimum locum capio, incautus perlustro. Materiam per omnia juris volumina latissimè diffusam, paucissimis pagellis includere vanus fatago. Crambem jam ante à Costâ celeberrimo Itatorum Jcto appositam imprudens recoquere videor. Verùm enim vero cum in magnis & voluisse sufficiat, ac quin spicilegium aliquod à prælaudato Autore, (Praxeos imprimis observata, variasq; Doctorum opiniones, ceu Citramontis in more plerumq; positum est, inculcante,) relictum mihi sit, nullus dubitem; ob singularem Doctrinæ hujus utilitatem, quæ in omnibus ferè Juris capitibus se exserit, eandem in quâ ingenii vires periclitarer mihi proposui. Sed cum longâ præfatione vel excusare vel commendare ineptias ineptissimum sit. *Plin. l. 4. ep. 14.* Lectorem benivolum rogamus, ut, si humanitùs forsan alicubi erratum fuerit, corrigat: Nec enim pigebit unquam, sicubi hæsitamus, quærere; nec pudebit, sicubi ERRAMUS, discere. *Flor. lib. 4. hist. c. ult.*

SECTIO. I.

De Ignorantia in genere.

§. I.

Priusquam ipsas Ignorantiæ species excutiendas aggredior, Methodi legibus obstricto paucula quædam de ipso genere in medium proferre lubet, ut ex generaliori ipsius rei cognitione eò facilior & felicior via ad specialiora nobis aperiatur.

A 2

§ 2. De

§. 2. De Etymo Ignorantiæ non est quòd simus solliciti: illud enim à voce Ignarus & hoc à gnarus deduci, non potest non esse obvium. Est verò gnarus, qui rem odoratus est, ut Terentius ait: unde à nare fortè est gnarus, & *κατὰ ὀσφισίν* gnarus. Quemadmodum autè veteres pro voce gnarus posuerunt gnaruris, ita pro Ignarus dixere Ignaruris, uti videre est apud Plautum in Pœnuli Prolog. *vers. 47.*

Æquè ut mecum sitis ignarures,

v. Voss. Etymol. in voce Gnarus.

§. 3. Ignorantia aliàs vocatur Ignoratio. *l. 11. ff. de diversis temp. præscr. l. 55. ff. de Edil. Edict.* Plus in Scythis proficit vitiorum ignorantio, quàm in Græcis cognitio virtutis, eleganter ait Trogi Epitomator *Justinus l. 2. c. 15.* Erroris etiam venit nomine *l. 2. §. 8. ff. de J. & F. l. 7. C. eod.* Latè sc. & generaliter sumto. Specialiter verò Errori, quem Scholastici vocant Ignorantiam pravæ dispositionis, contradistinguitur. *l. 16. §. 5. & 10. ff. de publican. & vectigal. v. Cujac. lib. 14. Obs. 3. in fin. & quidem ratione (1.) Formæ. Error est opinio veritati contraria, i. e. notitia perversa objecti, quod sistitur Intellectui & per hanc decipitur, per visum, opinionem ac famam comparata. *c. quamvis. 11. dist. 38.* ex quo talem Erroris descriptionem quidam formant, quòd sit existimatio, quâ approbatur verum esse quod falsum est, vel falsum esse quod verum est; vel certum esse, quòd incertum est & viceversâ. Ignorantia verò est scientiæ privatio. *Azo in summ. C. h. t. (2.) Objecti.* Error versatur circa falsum & nunquàm admittit veritatem. Ignorantia verò tam circa verum, quàm falsum. (3.) Adjuncti. Error semper ad actum extraneum dicti vel facti falsum procedit. Ignorantia verò intra animum latere potest. Error sine Ignorantiâ esse nequit. *Franzk. Ex. XI. qv. 8. n. 1.* Ignorantia sæpè est sine errore. *c. quamvis XI. dist. 38.* Hinc ille vocatur Ignorantia duplex: Hæc verò simplex. *Dn Tabor in Analect. ad Barbof. Thesaur. Locor. Com. lib. 9. c. 3. ax. XI.* Hoc loco autem differentia hæc non attenditur, sed Erroris & Ignorantiæ vocabulum promiscuè sumitur. *Calvin. in Lex. Jur. voc. Error.**

§. 4. Ignorantiæ adfinis est Dubitatio, quæ non firmiter adsentitur, neque omninò repugnat, sed fluctuans nunc ad hanc, nunc ad alteram partem languidè inclinatur. Quæ Ignorantiæ comparatur, præprimis si illa dubitatio sit rationalis, & dubitans se facillè non possit infor-

informare. *Sichard. ad l. 2. C. de furt. n. XI.* Sic iis, qui mente titubante indebitam solverunt pecuniam, æquè ac iis, qui ex Ignorantia facti, quo de inferius, non denegatur repetitio, nec contra eos inducitur præsumtio transactionis, nisi hoc specialiter ab alterâ parte probetur *l. ult. C. de cond. indeb.* Similiter nescius & dubitans inter se comparantur, in *l. 14. l. 15. ff. qui testam. fac. poss. l. 1. pr. ff. de Leg. 3. l. 2. ff. quis ordo in bon. poss. l. 22. §. 2. C. de furt.*

§. 5. Observandum quoque aliud esse Ignorantiam, quæ Moralistis Ignorantia Privationis; aliud Nescientiam, seu simplicem scientiæ negationem, cum nullum intellectus intervenit iudicium, quam Doctores Scholastici vocant Ignorantiam puræ negationis, qualem habere dicuntur impuberes sine tutore agentes, qui nil posse scire intelliguntur. *l. f. ff. b. t. quorumq; ætas quid videat, ignorat. l. 1. vers. Impuberes verò. C. de fals. mon. Qvalis etiam est in furiosis. Hahn. ad Wesenb. par. ff. b. t. n. 1.*

§. 6. Hisce præcognitis, consequens est, ut aliquam Ignorantiæ descriptionem adjiciamus, quam talem damus: Ignorantia est scientiæ privatio, nullum notitiæ vel cognitionis actum ponens, quam tamen quis aptus sit habere. *B. Dn. D. Eckold. in compend. Pand. tract. b. t. n. 1.*

§. 7. Hanc varii variè dividunt. Nobis terminos Juris & Facti Ignorantiam dispeſcunt. *Rubr. §. t. t. ff. ac C. b. t.* Hæc maximè in Digestis attenditur. Facti enim & quidem alieni Ignorantia, quia plerumq; præsumitur, loco probationis est, ideoque etiam locum post Probationum tractationem sortitur. Illa verò in Codice imprimis pertractatur, unde & post Juris species sedem ibi suam accipit occasione *l. 9. C. de LL. Perez. in C. b. t. n. 1.* In genere insuper notandum, quòd, quando simpliciter in *Jur.* Erroris fit mentio, Error facti ferè semper intelligatur. *Wissenb. Vol. 1. Diss. π. 43. §. 40.* Cum Juris Ignorantiam hoc modo dividendis optimè etiam convenit Philosopho. *l. 5. Eth. c. 10.* in fine, ubi hæc verba ex translatione *Grotii in lib. 3. de J. B. & P. c. 11. §. 4. n. 4.* habentur: Eorum, quæ non spontè fiunt, alia veniâ digna sunt, alia minus. Veniâ digna, quæ non ab ignorantibus modò, sed & ob Ignorantiam fiunt; at si quæ ab ignorantibus admittantur, nec tamen per Ignorantiam, sed tali animi morbo, qui communes humanæ naturæ

fines excedat, non digna sunt, quibus ignoscas. Michael Ephesius, antiquus Aristotelis interpres, locum hunc explicans, docente *eod.* *Grot. d. l. n. 5.* per Ignorantiam fieri ait, ubi factum ignoratur, ut si quis mulierem nesciat nuptam. Ab Ignorante non per Ignorantiam, ubi Jus ignoratur. Sed nos hisce misis ad ulteriorem harum specierum considerationem Deo adjutore progredimur.

S E C T I O II. De Juris Ignorantia.

§. I.

Ignorantia Juris est, quando quis id nescit, quod est constituti Juris. Seu: est Error, cum quis Legem vel Jus ex Lege sibi competens ignorat, quamvis factum faciat, unde Jus istud competere possit. *Meier in C. I. A. b. t. th. 2.* Vocatur ab Aristotele *lib. 3. Eth. c. 2.* Ignorantia Universalium, seu, rei universæ, quando v. gr. quis ea, quæ recta, quæ virtuti consentanea, quæ turpia, prava, justa &c. ignorat. *Impp. Severo & Antonino audit stultitia. l. 9. §. 5. ff. h. t.*

§. 2. Est quæve Juris vel Naturalis, vel Positivi, & hujus vel Divini, vel Humani.

§. 3. Juris Naturalis Ignorantiâ nemo (cujuscunq; statûs & conditionis fuerit, ab eo tempore, quo usus rationis se exserere, id quæve quod est hujus Juris innotescere incipit, quousque etiam idem usus rationis manet integer) excusatur. *c. turbatur. §. Item 1. quæst. 4.* Sic in Criminibus contra Jus Naturæ commissis ætatis suffragio Minores non juvantur *l. 1. §. 2. C. si advers. delict.* Eodem modo mulier eandem pœnam, quam mares sustinebit, si contra Jus Naturæ quid commiserit *l. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult.* Similiter & in iis, quæ naturali ratione percipiuntur, rusticitati venia non præbetur. *l. 2. C. de in jus voc. ut nec militiæ. l. 1. pr. ff. de obseq. parent. & patron. præstand.* Rationis enim Naturalis Ignorantia in iis attendi nequit, cum sit Lex mentis, Jus cordibus nostris inscriptum, uti vocat Apostolus. *Rom. 2. v. 14. & 15.* quod nobis non opinio, sed innata vis attulit. *Cic. l. 2 de Invent. & ubiq; instinctu naturæ non constitutione aliquâ habetur. c. Jus naturale 7. dist. 7* Plura hæc dere vide apud *Hug.*

Hug. de Roy. de eo quod just. est. lib. 1. tit. 3. n. 5. ubi & exempla refert, quomodo non boni tantum, sed & improbi eam agnoverint, veluti Cainis, *Gen. 4. v. 13. & 14.* Pharaonis. *Exod. 9. v. 27.* vid. etiam *Guilielm. Grot. de Princip. Jur. Nat. c. 3. §. 5.* Quod si igitur hoc Jus Naturæ nobiscum natum per negligentiam obfussetur, aut malis moribus oblitteretur, veniam tamen non videntur mereri posse, qui supinam hanc Ignorantiam prætendunt, v. *Dn. Ziegler. not. ad Grot. de J. B. & P. c. 20. §. 43.* licet aliquando ex opinione hominum & in foro externo excusentur. Pl. Rev. atqve Excellentiss. *Dn L. Alberti Præceptor, Patronus ac Hospes meus æternâ animi devotione colendus in Exam. Err. Theol. à Grot. in libb. de I. B. & P. commisf. d. l. n. 20.* Interdum tamen difficiliore quædam nec omnibus patentes hujus Juris illationes, idè quia difficiliorem habent cognitionem pœnam valdè imminuunt, *Grot. d. l. n. 1. Selden. de J. N. G. & Civ. sec. discipl. Ebr. l. 1. c. 7.*

§. 4. Juris Divini Moralis, quia toti humano generi latum, Ignorantia neminem quoque excusare potest. Laudandum itaque, quòd piis olim Israelitis in more fuerit positum, mandata Legis Divinæ, ex præscripto Dei, ferre scripta in manibus, in fronte & in domus limine. *Deut. 6. v. 6. seqq.* ut perpetua eorundem recordatione sui officii quisque admoneretur, pœnasque iisdem comprehensas evitaret.

§. 5. Juris Positivi Humani Ignorantia iterum distingvenda est juxta diversas ejus Juris species, quòd vel sit Juris gentium, vel Civilis. Prior excusatione & veniâ non est digna. Cum enim & hoc Jus Duce naturali ratione tacito quodam consensu apud omnes homines introductum sit, & ab omnibus peræquè custodiri debeat, vix à quoquam sanæ mentis homine ignorari potest. *arg. §. 1. & 2. I. de I. N. G. & Civ. Ludvvel. ad Wesenb. Paratit. ff. h. t. n. 4.*

§. 6. Ignorantia Juris Civilis, quæ hîc maximè attenditur, est, quando ea, quæ Juris sunt Civilis, Ignorantur. v. gr. Si quis ex asse heres institutus non putet se bonorum Possessionem petere posse ante apertas tabulas, in Jure errat. *l. 1. §. 4. ff. h. t.* Similiter heres, qui Legatis exsolvendis Falcidix rationem non habet, in Juris errore est positus *l. 9. §. 5. ff. eod. l. 9. C. ad L. Falcid.*

§. 7. Hæc Ignorantia in genere nocet. *l. 9. pr. ff. h. t. l. 2. & 3. C. eod. l. 11. §. 4. ff. de his qui not. infam. i. e. non prodest, ut quis à præjudicio*



aliquo, onere, obligatione liber existat. vide pluribus hæc exponen-
tem Cujac. lib. 5. Obs. 39. Leges enim Sacratissimæ, quæ constringunt
hominum vitas intelligi ab omnibus debent, ut universi præscripto
earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa se ten-
tur. l. 9. C. de LL. l. 12. C. h. t. l. 1. §. 2. ff. de adil. ed. Hinc error Juris non
nisi analogicè dici potest Ignorantia. Franzk. Ex. XI. qu. 8. n. 5. Jus
enim finitum est, & sciri debet l. 2. ff. h. t. Unde Jus ignorantes pro
scientibus habentur & ignorantibus opponuntur in l. 9. §. 5. vers. quod
si idè ff. h. t. Quapropter etiam Ignorantia hæc latæ culpæ annume-
randa. l. 132. ff. de R. I. l. 213. §. 2. ff. de V. S. cujus finis est non intelligen-
re id, quod omnes intelligunt. l. 223. ff. eod. Bachov. ad Treutl. Vol. 2.
D. 4. §. 13. tit. B. Wissenb. Disp. ad w. 43. §. 43. Quamvis autem aliàs
lata culpa dolo æquiparetur. l. 32. ff. de pos. l. 226. ff. de V. S. Error
tamen Juris à præsumto dolo excusat. l. 25. §. 6. ff. de hered. petit. l. 36.
§. 1. ff. de usurp. & usuc. & per consequens ab ejus pœnâ. Gl. ad l. 2. C.
ad L. Fab. de Plag. Wesenb. in w. ff. h. t. n. 4. Vigel, Method. Jur.
Controv. lib. 5. c. 11. reg. 19. replic. 6.

§. 8. In specie de Juris hujus Ignorantiâ duæ notandæ veniunt
Regulæ. Dn. Struv. Syntagm. Jurispr. Ex 28. §. 53. Quarum prima hæc
est: Non prodest Juris Ignorantia noviter acquirere volentibus. l. 7.
l. 9. pr. ff. h. t. adè ut Juris error nec fœminis in compendiis proffit.
l. 8. ff. h. t. l. 11. C. eod. l. 6. C. qui admitti ad bon. poss. Dn. Struv. d. exerc.
28. §. 53. ut in Usucapione. l. 31. ff. de Usucap. Dn. Brunnem. ad l.
8. ff. h. t. Sic si quis ignorat sibi competere bonorum possessionem ex
Successorio capite, & præterit tempus bonorum possessionis, cedit
ei tempus. l. 1. §. 1. & 3. ff. h. t. l. 10. ff. de Bon. Poss. Qui Juris ignoran-
tiâ beneficio Legis Falcidix usi non sunt, nihil possunt repetere l. 9. §.
5. ff. h. t. l. 9. C. ad L. Falcid. vid. §. 10. sect. 2. Similiter in Jure erranti
possessori non procedit Usucapio. l. 4. ff. h. t. l. 31. pr. l. 32. §. 1. ff. de Usu-
cap. l. 2. §. 15. ff. pro Emt. l. 4. C. qui bon. ced. poss. Dn. Struv. Synt. Jur.
Civ. Ex. 43. th. 12 Illa enim præter definiti temporis continuationem,
& bonam fidem pr. I. de Usucap. §. 36. I. de rer. divis. l. 32. §. 1. ff. de
Usurp. & Usuc. l. 27. ff. de contrab. emt. l. 3. pr. ff. ad L. Fab. de plag. l. 109. de
V. S. exigit etiam justam & probabilem causam possidendi. l. 4. C. de
præscr. longi temp. Sed in possidente ex Juris errore nulla causa justa
aut probabilis videtur adesse, tum ob dicta in §. 7. hujus Sect. tum ne
Juris

Juris ignarus melioris sit conditionis, quàm peritus. Ferdin. Vasq. *Ill. Controv. lib. 2. c. 77. n. 13.* Adeò ut licet cum errore Juris concurrat facti error, Usucapio tamen non procedat. Vasq. *lib. 2. Ill. Controv. c. 79. n. 3. & 4.* Quantum verò restitutionem rei, ejusq; fructuum attinet, errans in Jure habetur pro bonæ fidei possessore, & hoc casu mitius cum eo agitur. *l. 25. §. 6 ff. de hered. petit. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Ex. 10. § 55.*

§. 9. Hæc autè Ignorantia non nocet (1.) si sit circa Jura difficiliora & magis recondita. Berlich *part. 2. concl. 22. n. 4.* circa minus frequentata. Wesenb. *in parat. ff. b. t. n. 4. in fin.* Brunnem. *ad l. 1. C. de mand. Princip.* Præsertim hodiè cum Civile Jus, quo utimur, non æquè ut olim ex publicis tabulis, sed ex prudentum disputationibus, imò & ex peregrinâ lingvâ sit cognitum. Bachov. *ad Wesenb. π. ff. b. t. in fin.* Non enim, ut eleganter ait Cujac. *lib. 5. Obs. 39. exigimus ut omnes JCrorum artificia didicerint, sicut omnes Patresfamilias, Magonis aut Casii Dionysii libros, sed communem tantum eorum, quæ Legibus continentur intelligentiam in omnibus exigimus. Hæc oportet scire, nec quod ea sciat quisquam, ideo JCrus est. Sunt enim certæ Leges & Constitutiones in promptu, ut cuivis ea cognoscere & describere liceat.* (2) Si quis peritiores consulendi copiam non habeat. *l. 9. §. 3. ff. b. t. l. 10. ff. de bon. posses. l. 2. §. 5 ff. quis ordo in bon. poss. v. eleg. can. ult. 16. dist. 37.* (3) Si Leges non sint sufficienter promulgatæ ut in cujuslibet notitiam pervenire non possint. *c. 3 dist. 4. cap. cognoscentes extr. de Constit. cap. ad hæc extr. de Postul. Prælat. cap. dixit Sara. 3. c. 32. q. 4. Lancell. Instit. Jur. Can. lib. 1. tit. 3. §. 6. ibiq; Dn. Ziegler.* Promulgatio enim Essentiam Legis suo complet concursu, estq; Legis formale, ratione status Legis externi, ut Subditis communicata, eosq; obligans. Jacob. Gordon. *in Theol. Mor. Tom. 1. lib. 2. qv. 2. c. 2. pr. pag. 256.* Est enim virtus Legis ut instar regulæ ac mensuræ Cives dirigat: Regula verò non exserit virtutem nisi applicata rebus dirigendis. Legis autem regula tunc applicatur Civibus, quando per publicationem in ipforum venit notitiam. *Thom. 1. 2. qv. 90. art. 4. ad quem locum Malderus dubio 3. pag. 344. benè dicit: Leges Imperiales non obligare in Provinciis Imperio Subjectis, nisi fuerint in eis promulgatæ, nec sufficere si in aulâ Imperiali sint publicatæ.* Intellige quoad actualem obligationem. *Nov. 66. c. 1. Vis enim obligativa jam ad-*

B est,



est, ubi in solenni loco fuit proposita. Ad ipsam verò Obligationem actualem, inquit Meisner. *lib. 4. de LL. Sect. 1. qv. 9.* cum reatu pœnæ conjunctam requiritur notitia & universalis promulgatio. Nisi enim Lex omnibus intimetur, omnes actu ipso non constringuntur, neq; rei fiunt pœnarum. Sic Cæsareæ constitutionis per Imperium promulgatio ab Electore Moguntino specietenus Camerae Spirensi insinuatur, quæ ab eadem litigantibus, Advocatis & Procuratoribus rursus communicatur. v. Dn. Malcomes. *annot. ad Comment. Ludov. in Wesenb. paratitl. tit. de Constit. Princ. lit. E.* Malè verò idem Malderus Legem Pontificiam obligare docet, Romæ tantum promulgatam. Nulla enim disparitatis dari potest ratio. *c. 1. extr. de oper. novi nunc.* ipsiq; contrarius est Sotus *lib. 1. de J. & J. qv. 1. art 4.* quamvis stylus Curiae Romanæ id hodiè observet, uti videre est in indicatione Concilii Mantuani à Paulo III. P. R. anno 1563. d. 2. Jun. Sleidan. *lib. 10. Comment. & ejusdem Papæ convocatione ad Concil. Trident. anno. 1542.* ipsius Concilii anathematibus præfixâ. Ex hisce dictis Dd. inferunt, etiamsi quis sciat, Legem esse promulgandam, ante promulgationem verò contra eam peccet, non teneri, Ferdin. de Castro *Oper. Moral. part. 1. tr. 3. disp. 1. punct. 10. n. 2. p. 122.* Menoch. *arbitr. lib. 2. cas. 185. n. 22.*

§. 10. Diximus in §. anteced. quòd Leges debeant promulgari *sufficienter.* Hinc non debent scribi per abbreviaturas, quas vocat Imperator Justinianus *figla in Const. ad Senatũ & omnes Pop. de confirm. Dig. §. 22. in Proœm. ff. ad Antecess. §. 8. Singlas. in Const. ad magn. Senat. de conf. ff. §. 22. Simplorum captiones & compendiosa ænigmata. Constit. ad Tribon. §. 13.* quæ sunt singulariæ literæ sine coagmentis Syllabarum Gell. *noct. Attic. lib. 17. c. 9.* quarum quælibet dictionem unam pluresve significant. Harum apud Romanos usus erat creberrimus, nec tamen certa earundem significatio, sed pro arbitrio scribentium, singulæ quid denotabant. Id quod docet Stevvech. *comment. ad Veget. lib. 2. c. 8. verb.* Erant enim centuriones. *Edit. noviss. Vesal. p. 155.* qui literam unicam quæ ad similitudinem literæ majoris H, sed utrinq; tamen eminentiori illâ transversâ linea pro quâ hodiè ponimus N, liquidam, hasce particulas denotasse refert, enim, etiam, tamen, tantum, autem, verò, cum, quanquam, etsi & similes. Illustre nobis exemplum suppeditat Cic. *lib. 2. de*
Omt.

Orat. Cum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, cum ipse Consul esset factus, ille repulsam tulisset, & in ejus tabulis ostenderet literas A. F. P. R. idq; diceret esse Actum fide P. Rutilii. Rutilius autem Ante factum, post relatam. Cajus Cannius Eqves Romanus cum Ruso adesset, exclamavit, neutrum his literis declarari. Quid ergo inquit Scaurus? Emilius fecit, plectitur Rutilius. A Siglis diversæ erant notæ, quæ non erant literæ. l. 6. §. f. ff. de bon. poss. l. 40. pr. ff. de testam. milit. & quarum rara aliquot exempla ex Jure nostro profert magnus Cujac. lib. 12. Obs. 40. Plura de Siglis qui volet, adeat Valer. Probum & Paul. Diaconum de notis Romanorum. Cujac. d. l. & lib. 3. o. 3. Gotofr. ad rubr. ff. de præscr. verb. lit. o. Henr. Salmuth. in Comment. ad Pancirol. rer. memor. lib. 2. tit. 14. Hunc scribendi modum Justin. Imp. in locis supra cit. severè prohibuit, ne per scripturam aliqua fieret dubitatio & per compendium ipsi Legum interpretationi vel compositioni discrimen adferretur. Cum quo & consentit sapiens Castellæ Rex Alphonsus XI. in Jure Regio. part. 1. tit. 1. leg. 13. Entender se deuen las leyes bien, e derechamente. E por esta razon no se deben escriuir por abreuiaduras, mas por palabras cumplidas. v. Gregor. Lopez. ad h. l.

§. II. Sacratissimæ porrò Leges Sermone peregrino, parùm usitato & obscuro non sunt consignandæ. Cum enim in plerisq; aliis, tum præcipuè in Legibus reprehendenda obscuritas est. Nam sicubi alibi, illic certè distorto intricatoq; dicendi genere vacare, rectèq; informari oportet Orationem. Non enim arcana quædam Sanctiones Legis sunt, ut à multitudinis intellectu remotæ esse debeant, sed potius si fieri posset, neminem illas latere oportebat. Quippe quod id ad hominum mores in melius convertendos, communisq; vitæ utilitates vel maximè conduceret, inquit Leo Imp. Nov. 77. Quamvis Salmuth. ad Pancirol. rer. memor. lib. 1. tit. de fibulâ, dissentiat, rationes tamen ejus tanti non sunt. Hinc Solonem notat Plutarch. in ejus vitâ, quòd Atheniensibus leges obscuriores, quæ contrarios in se reciperent sensûs, tulisset. Ob id quoq; Polydoro Virgil. lib. 9. Hist. Angl. & Arthuro Duck de Auth. Jur. Civ. lib. 2. c. 8. part. 2. § 21. vapulat Gvilielmus Conquestor, qui novas Leges quibus Regnum Populumq; Anglicanum obstrinxit, Gallicâ lingvâ sed veteri, i. e. Normannica conscribi jusfit. Pauca illæ quidem, sed plerumq; ambigua. Barclaj. in Euphorm.

part. 4. c. 4. p. 304. In eo tamen excusationem videtur mereri posse Anglorum Legislator, quod devictum Regnum moribus, lingua & Legibus suis adsuafacere singulari Politica ratione annis fuerit, quod & Romanos fecisse legimus, qui gentibus à se debellatis in Judiciis & omnibus actis publicis linguam Romanam uti præceperunt, Valer. Max. lib. 2. cap. 1. exemp. XI. idemque Tartaros Sinensibus non ita pridem subjugatis imperasse novelli testantur Historici. Neque etiam prudens Legislator Caligulam imitaturus est, qui vectigalia voluit conferri cum Legem nondum promulgasset, & cum per Ignorantiam scripturæ multa commissa fierent, tandem flagitante populo proposuit quidem Legem, sed & minutissimis literis & angustissimo loco, ut ne cui describere liceret. *Sveton. in vita Calig. c. 41.* Tandem fatius est Legem brevem esse, quæ facilius ab imperitis teneatur. *Senec. ep. 94.* Quamvis ob Legis prolixitatem, ejusdem Ignorantiam excusari non posse, verius videatur.

§. 12. Obiter hic quædam de modo & ratione promulgandi inspergamus. Fit is vel viva voce. Sic Leges Mosaicæ quolibet olim septennio solebant prælegi. *Deuter. 31. v. 10. & 11.* Svedicæ quotannis semel. *c. 23. LL. Municip. de Jur. Reg. Loccen. Exerc. Jur. 1. §. 26.* Sicut & in Germaniam certo tempore Leges & statuta præleguntur, vel de suggestu, uti hic Lipsiæ bis quotannis Ordinatio Conjugalis, vel de Cathedra, ut itidem Statuta Academiae singulis semestribus: vel in foro, publicam præconis voce: quæ antiquissima promulgandi ratio, & literis nondum repertis maximè usitata. Germanique veteres ne Leges eodem modo promulgatas oblivioni traderent, easdem cantilenis studebant servare, unde & hodiè adhuc cantionum versiculos *Gesänge* appellari videmus. *Henr. Pantaleon. Prosopogr. Illustr. Germ. Virorum. in vita Tuiscon.* Alter modus promulgandi fit scripturam. Sicuti LL. XII. Tab. à Decemviris in tabulas eboreas relatæ fuerunt. *l. 2. §. 4. ff. de O. I.*

§. 13. Post duos autem menses (nisi expressè brevius vel longius tempus ad Obligationem à Legislatore sit præfinitum. *Dn. Philippi. Usu Pract. lib. 1. Eclog. 11. n. 6.*) à tempore publicationis lapsos, nemo Ignorantiam Legum prætereundere poterit. *Nov. 66. c. 1.* nisi fortè tam longè quis absens fuerit, ut verisimile sit, ad ejus notitiam Legem non pervenisse, *Dn. Philip. ibid. n. 15.* aut si quispiam peregrinus
nus

11.
nus contra Legem peccet, de cujus Ignorantiâ certò constat. Est enim invincibilis, quæ culpâ caret, nulliq; pœna subest. *c. 2. de constit. in 6to.* Culpæ verò absentia arguit absentiam obligationis. Si enim obligationis vinculo aliquis adstringeretur, non transiliret præscripta Legum sine culpâ, nunc quia culpâ vacat Legi contraria Actio, satis apparet Obligationem hîc nullam esse. Accedit quòd Impossibile nulla sit Obligatio. At verò qui Legem invincibiliter ignorat, eam servare nequit. Obligatio autem est Essentiale constituens, cum Lex sit norma Actionum coactiva. Pl. Rev. atq; Excell. Dn. Præs. Colleg. Priv. ad Dn. Srauch. *Diff. π. 1. §. 6.* quæ salva esse nequit, ubi illud deficit: Deficiente igitur essentiâ Juris, quæ in obligatione consistit, ipsum Jus deficit. v. Ferdinand. Vasq. Ill. *Contr. lib. 1. c. 44. n. 10. & 11.* Hinc non sine causâ Philippus Maced. Rex bellum intulit Atheniensibus, quòd duos Acarnanum Juvenes non initiatos, cum palàm esset, illos templum Cereris per errorem // ingresses, tanquam ob infandum scelus interfecissent. Quod fœdè // & hostiliter factum ait Livius. *lib. 31. c. 14.* Talem invincibilem Juris Ignorantiam tribuunt etiam Jonathani, contra Patris ac Regis mandatum, melleum liqorem gustanti. *Wissenb. Vol. 1. Disp. π. 43. θ. // 42.* Eodem modo Ignorantia Statutorum invincibilis excusat novitium Civem à pœnâ Statuti, quemadmodum tyronem excusat ignorantia disciplinæ. *l. 3. §. 9. l. 4. §. 15. l. 14. §. 1. vers. tyroni ff. de re milit.*

§. 14. Altera Regula (v. §. 8. hujus sect.) est talis: Juris Ignorantia nemini suum petenti & in damnis amittendæ rei suæ nocet. *l. 7. in. f. l. 8. in f. ff. b. t.* Sic si Procurator meus vel Tutor pupilli rem suam quasi meam vel pupilliali tradiderit, non recesit ab eis Dominium & nulla est alienatio. *l. 35. ff. de A. R. D. cum falsâ demonstratione mutari substantia veritatis minimè possit. l. 5. C. b. t. add. l. 8. C. eod. l. 79. ff. de Leg. 2.*

§. 15. Ardua hîc suboritur quæstio. An etiam ejus, quod Errore Juris indebitè solutum est, detur repetitio? Adfirmant Interpp. veteres eosq; secuti *Zaf. ad Rubr. ff. de condict. indeb. Sichard. ad rubr. C. eod. Wesenb. in par. ff. eod tit. n. 9. Bachov. Disp. 4. de Action. θ. 17.* Negant pleriqve recentiores *Cujac. l. 5. Obs. 39. Perez. ad C. tit de cond. indeb. n. 12. Arum. Ex. 15. θ. 15. Pac, Cent. 4. Enant. 5. Bronchorst.*

chorst. lib. 5. assert. 36. Donel. 1. Com. 21. Ludovvel. ad Wesenb. parat. ff. de cond. ind. n. 9. Wissenb. Disp. ad Inst. 39. 0. 17. Id. Vol. 1. Disp. 43. 0. 41. Schnob. Disp. ad ff. 8. 0. 28. B. Dn. Eckold. tit. de cond. ind. num 4. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. 18. 0. 40. Quorum sententia clara Impp. Constantini & Maximini Constitutione firmatur in l. 10. C. b. t. ubi hæc verba expressa habentur: *Cum quis Jus ignorans indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio per Ignorantiam enim facti tantum repetitionem competere notum est.* Add. l. 9. C. ad L. Falcid. l. 9. §. 5. ff. b. t. §. 25. in f. de Leg. l. 9. §. 4. & 5. l. 10. ff. ad SCt. Maced. l. 68. §. 1. ff. ad SCt. Trebell. Qui textus omnes simpliciter adfirmant ob Errorrem Juris non dari conditionem. Error enim Juris habetur pro scientiâ l. 9. §. 5. ff. b. t. Scienti autem negatur conditio. l. 1. §. 1. ff. de cond. indeb. l. 9. pr. C. eod. quia indebitum scienter datum donatio est. l. 53. ff. de R. I. Cui accedit, quod Minor ex errore Juris solvens habeat restitutionem in integrum. l. 2. C. si advers solut. quæ non esset necessaria, si Juris error communi Jure non impediret Restitutionem. l. 16. pr. ff. de Minor. v. Hahn. ad Wesenb. parat. ff. de cond. indeb. n. 9. ubi sic quoque respondisse testatur Jctos Helmstadiensis, anno 1632. mense Novembr. Eodem modo respondit Scabinatus Lips. anno 1577. mense Febr. & anno. 1633. mense Jun. teste Carpz. part. 2. Const. 28. Def. 20. in fine. Aliquando tamen ex singulari æquitate, quæ aliàs est causa conditionis indebiti. l. 14. l. 66. ff. de cond. ind. & justis ex causis, consideratis probè personarum, locorum, & temporum circumstantiis permittitur conditio arg. l. 25. verb. ex justis causis. ff. de Minor. l. 1. pr. ut in posses. Legat. verb. benignè. Hahn. d. l. Dn. Struv. Synt. Jurispr. Ex 18. 0. 40. (1.) Si solvens certat de damno vitando, ut si rem suam amissurus esset, ne admittamus aliquem locupletari vel quid acquirere cum alterius detrimento, secus quàm traditum est in l. 14. l. 26. §. 2. ff. de cond. indeb. Si verò solvens certat de lucro captando (veluti si quis solvat integra Legata, non habitâ ratione Legis Falcidiæ,) conditio inhihetur, quia nihil imminuitur ex patrimonio & sequitur voluntatem Testatoris. l. 9. C. ad L. Falcid. l. 9. §. 5. ff. b. t. Bernh. Scotan. Exam. Jur. tit. de cond. indeb. p. m. 302. Carpz. part. 3. Const. 15. def. 42. ubi septem sui Scabinatûs responsa adfert. Bechman. in Comm. ff. Vol. 1. part. 2. Exoter. Exerc. 1. Observ. pract. 3. ubi etiam Antecessores Jenenses mense Febr. anno 1634.

1634. ita respondisse testatur. Aliter distinguit Vinn. l. 1. *Select. Jur. quest. c. 47.* inter indebitè solutum, ubi nulla subest Obligatio, & ubi aliqua subest: Illo casu non posse Juris errorem impedire, quo minus solutum repeti possit: hoc non item. l. 9. *inf. § l. 10. ff. ad SCt. Maced.* (2.) Si illi ex Juris errore solvant, quibus Jus Civile ignorantibus venia datur. Dn. Struv. *Synt. Jur. Civ. Disp. 18. §. 10. inf.*

§. 16. Permittitur autem quibusdam Jus ignorare simpliciter: ut propter ætatem imperfectam venia datur MINORIBUS viginti quinque annis. l. *pen. pr. ff. b. t. l. 11. C. eod. l. 7. §. 6. & 8. l. 25 pr. ff. de Minor. l. 29. ff. de cond. ind. l. 3. §. 2. ff. ad SCt. Maced. l. 5. ff. de I. Corn. de fals. l. 2. C. si advers. solut. l. 8. C. de in integr. restit. min. l. 2. C. si advers. delict. l. 6. C. de his quæ ut indign. Quem enim fragile & infirmum hujus ætatis latet judicium. l. 1. *pr. ff. de Minor.* Propter conditionem suam Jus etiam ignorare permittitur MILITIBUS. l. 9. §. 1. *ff. b. t.* Sic licet iis ob simplicitatem armatæ militiæ etiam post sententiam definitivam opponere. l. 1. *C. b. t.* Pro his tantummodò rebus, quas in hereditate, quam per Ignorantiam adierunt, invenere, conveniuntur. l. 22. *C. de Jure delib.* Ob nimiam militum imperitiam in ordinandis testamentis à Julio Cæsare, dein Constitutionibus Nervæ & Trajani iis subventum. *pr. & §. 1. J. de militar. Testam. l. 1. pr. & l. 24. ff. eod. v. Dn Strauch. Disp. τ. 9. §. 30.* Arma enim magis, quàm Jura scire Sacratissimi Legislatores existimaverunt. d. l. 22. *pr. C. de Jure delib.* Hunc Ignorantiæ clypeum prætexebat Hannibal, dum Gisgonem, qui post cladem Pœnorum ad Zamam de renovando adversus Romanos bello verba faciebat è suggestu depulisset. Improbante audax hoc & Civitate liberâ indignum facinus, Populo, se hominem in castris natum Legum Civilium exactam peritiam non habere profitebatur. Plutarch. *in vita Hannib.* Quippe militariibus ingeniis subtilitas deest, quia castrensis Jurisdictio segura & obtusior, ac plura manu agens calliditatem fori non exercet. Tacit. *in vitâ Agric. c. 9.* Horum autem jurium quæ militiam specialiter concernunt plenam notitiam militantes habere decet. l. 2. *§ t. t. ff. de re Milit.* In aliis enim rebus, si quid erratum est, potest corrigi, præliorum delicta emendationem non recipiunt, cum pœna statim sequatur errorem. Veget. *de re milit. lib. 1. c. 13.* Unde non immeritò Mithridates cum in navali prælio cum Rhodiis, navis quædam auxiliariis*



liaris imprudenter in regiam inveheret, eamq; convelleret finito prælio rectorem navis ultimo supplicio adfecit, *Appian. in Mithrid.* Cum nulla negligentia venia esse debeat, ubi de Salute certatur. *Veget. lib. 3. c. 5.* Nec eorum Jurium, quæ tanquam vincula Rempubli- cam continent & delicta puniunt Ignorantia Milites excusat à pœna & culpâ *l. 7. §. 4. ff. ad L. Jul. Maj.* *Sichard. ad l. f. C. de Jure delib.* Optimè huc quadrant verba superius laudati Regis Alfonsi. *part. 1. tit. 1. leg. 21. Fueras ende si el cauallero ficiesse traycion, o falsedad, o aleue, o yerro que otro ome deuiesse entender naturalmente, que mal era, no se puede excusar, que no aya la pena que las leyes mandan.* Nec deniq; Privilegium hoc militibus armatæ militiæ concessum exten- dendum ad auratæ militiæ milites, cessat enim ejus ratio, & expressè armatæ tantum militiæ mentio fit in *l. 1. C. h. t.* *Baptista à Villalobos; Com. Opin. lit. M. n. 110. Vigel. Method. Jur. Controv. lib. 5. c. 11. Reg. 19.*

§. 17. Quibusdam verò Personis secundum quid Jus ignorare permittitur: ut Fœminis. Tùm propter Sexûs imbecillitatem, fragi- litatem, consilium lubricum, rerumq; forensium ignorantiam. Est enim Mulierum genus fragile. *l. 23 pr. C. de Nupt. l. 1. §. 15. C. de rei Uxor. Act. l. 3. in med. C. de præscr. 30. vel 40. annor. l. 12. pr. C. qui pot. in pign. Imbecille. l. 2. §. 2. ff. ad SCt. Vellej. l. 23. pr. C. de Nupt. Infirmum l. 9. ff. h. t. l. 5. §. 3. C. ad L. Jul. Maj.* Unde D. Petro mu- lieres audiunt infirma vascula. *1. Petr. 3. v. 7.* Hinc mater Sexti Papi- rii Consulari familiâ, quæ filium corruperat, accusata in senatu, ge- nua Patrum advoluta, imbecillum fœminarum animum ferebat. *Ta- cit. l. 6. annal. c. 49.* Tùm propter singularem in eas favorem: *Quis senim earum nō misereatur propter obsequia, quæ maritis præstant, pro- pter partûs, periculum & ipsam Liberorum procreationem,* ait Imp. in *l. 12. §. 1. C. qui potior. in pign.* Adeò ut etiâ si scientes contra Leges peccaverint, mitius puniri debeant. *l. 6. pr. ff. ad L. Jul. pecul.* Cer- tis autem tantum casibus jure expressis iisdem subvenitur. *l. 9. pr. ff. h. t.* In genere verò notandum, quòd mulieribus tunc succurratur, cum defenduntur, non ut facilius calumnientur. *l. 110. §. ult. ff. de R. J. i. e. ut explicat Wissenb. Com. ad R. J. Disp. 17. n. 11.* cum juri suo & indemnitati patrocinium, præsidium ac defensionem orant, non etiam cum calumniandi aut decipiendi ansam quærunt. In specie mulier

mulier tum demum incesti poenam sustinet, cum incestum Jure Gen-
tium prohibitum commisit, nam si sola Juris nostri observatio inter-
venit, mulier ab incesti crimine est excusata. *l. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de
Adult.* Non incidit in SCt. Turpil. si desistat ab accusatione
l. 1. §. 10. ff. ad SCt. Turpil. Eidem poena L. Corn. de falsis remittitur,
si sibi per Ignorantiam in Testamento aliquid adscripserit. *l. 15. §. 4.
& 5. ff. ad L. Corn. de fals.* Ignorantia Juris etiam prodest fæminis
in iis, quæ ad Judiciarii ordinis solennitates pertinent. Bach, ad Tr.
Vol. 2. D. 4. §. 13. lit. E. Ut, si lapsæ non ediderunt instrumenta & alia,
quæ quis apud Judicem editurus est, iis subvenitur. *l. 1. §. 5. ff. de
edendo.* Similiter non nocet iis in judicio se detulisse. *l. 2. §. 7. ff. de
jure fisci.* Subvenitur quoque iis quæ judicatum solvi servum fidejuf-
sorem acceperunt, dum existimarunt, rectè servum intercedere. *l. 8.
§. 2. ff. qui Satisd. cog. v. Cujac. lib. 14. Obs. 39.*

§. 18. Denique; Rusticis propterea eorum simplicitatem Jus ignorare
permittitur in casibus lege comprehensis Godofr. *ad l. 3. §. 22. ff. de
SCt. Silan lit. t. & ubi æquitas Judicem commovet. l. 7. §. 4. ff. de
Jurisd. ubi v. Gloss. Dn. Brunnem. ad l. 9. ff. h. t. Scilicet ea gens*

Non ferrea jura

Insanumque, forum aut populi tabularia vidit. Virgil. *lib. 2. Georg.* Sic
Rustico æque ac fœminæ subvenitur, si Instrumenta non ediderit. *l. 1.
§. 5. ff. de edendo.* Eidem non nocet, si seipsum detulerit. *l. 2. §. 7. ff.
de Jure fisci.* In ultimis quoque voluntatibus quædam Juris solenni-
tates ut tunc sunt remissæ. *Homines enim rustici, quomodo possent tan-
tam Legum subtilitatem custodire in ultimis voluntatibus?* ait Imp. in
l. 31. C. de testam. Hinc patet non posse hinc absolute locum habere
verba Gregorii Nazienzeni in Oratione quam de Athanasio habuit,
relata à Cujac. *lib. 5. Obs. 39.* Nemini licere ignorare Leges Roma-
nas, etsi Rusticus quis, & valdè imperitus sit, nec esse Legem quæ
succurrat vel excuset ea, quæ per Ignorantiam facta sunt. Venia ta-
men hinc danda optimo Theologo & Oratori in sacris Canonibus
melius, quam Jctorum responsis versato. Excusandus quoque est
elegans & multæ lectionis scriptor Arthurus Duck, qui in egregio
tractatu de Usu & Auth. Jur. Civ. Rom. *lib. 1. c. 2. §. 6.* ex Sfortiâ
Oddo de Restit. in integr. *part. 1. qu. 10. num. 70.* refert, nec Rusti-
cos excusari ob Ignorantiam Juris communis, Romani. Scopus
enim

C

enim



enim ejusdem fuit. Justinianicum Jus tantis laudibus extollere ob eam maximè causam, quo in patrium Angliæ solum usum hujus Juris introduceret, ceu notat Conring. de Prudent. Civil. *cap. 14.* idè ob summam æquitatem, quam Leges Romanæ ferè ubiqve sectantur, & de quâ in *d. cap. 2.* ex professo agit, nec Rusticis quasdam earum ignorare permissum esse contendit. v. Joh. Brandes de verâ & simulatâ Jct. Philosoph. *c. 6. p. 131. seq.*

§. 19. Quod si igitur ob Juris errorem excusationem merentur Minores, Milites, Fœminæ, Rustici: multò magis Nescientiæ Infantum & Furiosorum danda erit venia. Cum enim Lex præceptum sit naturale, ejus vinculi sive obligationis capaces esse nequeunt, qui rationis exercitio carent, unde talibus non censentur Leges esse positæ. Adde quòd observatio Legum sine Intellectûs beneficio non possit procedere, quia Obligationem nemo implere potis est, nisi qui valeat sensum Legis cognoscere, Actiones suas ad ejus normam conferre, easqve inter se discernere, quâ cognitione in totum Infantes & amentes destituuntur.

§. 20. A veniâ hujus Ignorantiæ merito jure Clericos excludimus. Baptista à Villalob. *com. opin. lit. M. n. III.* Vigel. Meth. Jur. Controv. *lib. 5. c. II. reg. 19. v. elegantiss. discurs. Barclaj. in Satyr. part. 2. p. m. 177. seq.* Quamvis & his Legum Civilium ignorantiam permissam esse quidam Canonistarum contendant, cum quidem in finem, ut Monachi Monarchiam consolidare & ampliare atqve ex servo fervorum Dominum Dominantium facere possint, hisqve utantur versibus Rhythmicis, qui relati leguntur in antiquo quodam Juris vocabulario Lugduni anno 1540. impresso, quem Antonii Nebrissensis esse suspicor:

*Leges Civiles si nescit Fœmina, Miles,
Clericus & Cultor, Judex sibi parcat & ultor.*

Attamen cum Lex Generalis & communis omnes omninò Legislatoris subditos obliget, non solum Laicos, sed & Clericos obligabit. *l. 26. C. de Episc. & Cler. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. 2. §. 2.* ab omnibus æquabiliter & servanda. *l. 3. C. de LL. & intelligenda l. 9. C. eod.* Non enim tantum Laici, sed universus etiam Clerus potestati Principis subjectus est & per consequens, ejusdem quoque tenetur Legibus, *Rom. 13. v. 1.* Quamvis enim Pontificii in dicto hoc abstrahant

Pote-

Potestates tanquam Genus à Potestate Ecclesiastica & Civili, tanquam speciebus suis, ut sensus sit: Omnis anima sit subiecta Potestatibus vel in Ecclesiâ vel in foro supereminentibus: caret tamen hæc expositio omni fundamento, petit principium, & contra eam ipse facer contextus militat. Gladium enim gerere dicuntur. *vers. 4.* quod Jure Divino Ecclesiasticis non competit. Excellentiss. Dn. L. Alberti *in prælect. priv. ad breviar. Hülfem. c. 20. §. 6.* Consentit nobiscum Chryostomus in comment. ad d. I. Pauli, cujus verba referuntur à Dn. Ziegler. Comment. ad Lancell. *Inst. Jur. Can. lib. 3. tit. 1. verb.* pertrahant. Sed de his latius Theologi. Accedit, quòd etiam Imperatores Leges. Ecclesiæ tulerint. *Nov. 7. 46. 67. 120.* Nec movet, quòd ipsi Cæsares Judicio seculari Clericos exemerint. *Nov. 123. c. 8.* Aliud enim est exemptio à Judicio, aliud à Legum observantiâ: adde quòd eos tantum exemerint à Jurisdictione Judicum inferiorum, suam verò sibi in illos retinuerint potestatem. Est enim illa exemptio simplex tantum delegatio, quâ judicia quæ Clericos concernunt à Principe Episcopis committuntur, ipsius Principis nomine & autoritate ab iis tanquam Judicibus delegatis exercenda. Dn. Ziegler. *d. 1.* Nec ulterius movet, quòd omnia Privilegia à Jure concessa militibus armatæ militiæ, cœlestis militiæ militibus applicari possint. Everhard. in Topic. *loc. 56. à mil. arm. milit. ad mil. cel. militia. n. 1.* Limitanda enim hæc regula ut procedat, ubi eadem subest ratio, nec contrarium in jure reperitur, quemadmodum ipse docet Everh. *ibid. n. 17.* quod etiam antesignanus Canonistarum Abbas Panormitanus *ad c. 1. extr. de cleric. agrot.* fatetur cum quo etiam facit *Gl. in l. 41. in verb. peritos C. de Episc. & Cler.* quæ Lex in Clericis forensium tantum disceptationum peritiam improbat.

§. 21. Probanda verò Ignorantia Juris ab allegante eandem, producendo causas ex quibus efficaciter colligitur. Gravis enim contra illum militat præsumptio qui Jura nosse poterat ac debebat. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. *Ex. 28. §. 57.* Quotiens autem Lex aliquid præsumit, toties neganti id quod præsumitur, incumbit probatio, quia præsumptio Juris transfert onus probandi in adversarium. *l. 16. C. de Probat.* Bronchorst. *Enant. Cent. 2. assert. 92.* Ideò etiam non sufficere Juramentum docent Wesenb. *in parat. ff. h. t. n. 4.* Mascard. *de Probat. Concl. 881. n. 26.* Ferdin. de Castro *Oper. Moral. part. 1. tr. 2.*

C 2

diff. 1.



disp. 1. punct. 19. n. 5. Bach. ad Treutl. Vol. 2. D. 4. 8. 13. lit. f. ubi dubitanter adserit ad effectum excusandi sese ab aliquâ pœnâ solum sufficere Juramentum. Aliàs ad effectum acqvirendi actionem Probatio quidem per Juramentum contra præsumptionem admittitur, sed si aliæ concurrant conjecturæ, quæ Ignorantiam illam probabilem reddunt, & præsumptionem Juris quodammodo infringunt ac leviozem faciunt. Ludvvel, ad Wesenb. b. t. n. 4. in fine.

S E C T I O III. De Ignorantia Facti.

§. I.

Considerato pro virili Juris errore, restat nunc Facti Ignorantia, quæ est quando quis ignorat id, quod in facto consistit, vel peculiare facti circumstantias, hinc ab Aristotele vocatur Ignorantia particularium & circumstantiarum. *l. 3. Eth. c. 2.* vel est: quando illud quod in casu vel naturâ contingenter positum est accidisse ignoratur. *Wesenb. in parat. ff. b. t. n. 3. B. Dn. Eckold, in compend. Pand. tract. b. t. §. 2.*

§. 2. Hæc autem Ignorantia versatur vel circa factum proprium. *l. 7. ff. ad SCt. Vellej.* vel circa alienum. *l. 5. ff. pro suo. l. 3. ff. b. t.* Præteritum tamen vel præsens, non etiam futurum. Cum enim futuri certa scientia dari non possit, ejusdem etiam error argui nequit.

§. 3. Proprii facti Ignorantia est, quando quis nescit, quid fecerit, vel nunc faciat: v. gr: Si quis dicat se nec Testamenti, nec heredis à se scripti peritiam habere, aut proprium nomen ignorare. *l. f. C. de hered. instit.* Hæc prætendi nequit, estque intolerabilis *l. 7. ff. ad SCt. Vellej.* ibique *Godofr. l. 3. ff. b. t. l. 46. ff. de acquir. vel omitt. hered. 3. l. 25. ff. de Adopt. l. 12. C. de contrab. stipul. c. ab excom. 41. x. de Rescript: Propria enim facta nescire non est ignorantis, sed stulti plane, deperditi ac penè furiosi hominis.* *Wesenb. in paratitl. ff. b. t. Supina autem deperditi hominis Ignorantia ferenda non est. l. 3. §. 1. l. 6. ff. b. t. l. 15. §. 1. ff. de contrab. emt.* quia nulla adest justa erroris causa. *l. 11. ff. pro emt.* Actio enim proprii facti est spontanea, ejusque principium intrinsecum in ipso agente, & sciente singula, in quibus Actio versatur. Hinc talis Ignorantia nimia est securitas. *l. 6. ff. b. t. & dissoluta negligentia. l. 29. pr. ff. mand.*

§. 4.

§. 4. Quibusdam tamen casibus & huic errori propter memoria
imbecillitatem impertitur venia. Ut I. quando certat ignorans non
de lucro captando. l. 46. §. 8. ff. de furt. Sed de damno vitando sine
alterius injuria. Sic si me putē tibi aut Titio promississe, cum aut neu-
trum factum sit, aut Titii persona in stipulatione comprehensa non
sit, & Titio solvero, repetere à Titio potero. l. 22. pr. & §. 1. ff. de cond.
in deb. ibique Bartol. Carpz. part 2. Const. 28 def. 21. n. 5. add. l. 32. pr.
ff. de condit. in deb. l. pen. C. eod. Cujac. lib. 8. obs. 35. II. quando est
qvæstio de facto admodum antiquo, ubi ejus oblivio est probabilis.
v. gr. Si quis peregrè profecturus pecuniam in terrâ custodia causa
condidit cum post longum tempus reversus locum Thesauri in me-
moriâ non repetat, pecuniam non desit possidere, nam infirmitas
memoriæ damnum possessionis adferre nequit. l. 44. ff. acquir. vel
amitt. poss. Godofr. ad l. 7. ff. ad Sc. Vellej lit. x. valet enim in eo re-
gula: Omnium meminisse Divinitatis potius quam humanitatis
est. l. 2. §. 14. C. de vet. jure enucl. verissimumque illud Senecæ: Me-
moriam esse rem ex omnibus partibus animi maximè delicatam & fra-
gilem. lib. 1. Controv. præm. Præsumitur autem oblivio in facto pro-
prio post decennium. Costa de facti scient. & ignor. inspect. 48. nu. 2.
Quandoque tamen si res non sit magna & gravis præsumtio oblivio-
nis post lapsum duorum annorum inducitur. Costa ibid. n. 3. Non
autem præsumitur oblivio (1.) si factum illud alteri sit obligatori-
um, Tunc enim ejus Ignorantia tolerabilis non est, quia hujus rei
nemo sanus facile, solet oblivisci. l. 12. C. de contrab. & commit. sti-
pul. (2.) Si in ipso actu Juramentum intervenerit. Costa d. l. (3.) Si
qvotidiè similia acciderent. Mascard. de Probat. Vol. 2. concl. 879. n.
47. seq. Ludvvel. ad Wesenb. parat. ff. b. t. n. 3. (4) si factum anti-
quum sit grave & notabile. c. cum illorum 32. circa fin. extr. de sent.
excom III. quando sic implicata res est ac involuta disponentis facto,
ut nisi arbitrio boni viri explicari non possit. l. 27. ff. de condit. & de-
monstr. Sicuti sæpenumerò est calculus rationum reddendarum. l.
47. §. 1. ff. de pact. l. 7. ff. de confess. ibi: computatio difficilior esset.
Gail. lib. 2. Obs. 48. IV. quando dives quispiam facultates suas ita
dispersas habet, ut minutissimorum recordari non possit. Wesenb.
in parat. ff. b. t. n. 3. V. quando ob varias & particulares solutiones
non constat debitori quid sit residuum. l. 5. C. de distract. pign. VI. Si

C 3

quis

quis in agone constitutus facta sua in memoriam sibi revocare nequeat. *Nov. 118. c. 6.* Ea enim est fragilitas humana, ut mortis cogitatione perturbata minus memoriâ possit res plures consequi. *l. 8. §. at cum C. qui testam. fac. poss.* Barbosa in *Thes. Loc. Com. l. 9. c. 3. ax. 12.* B. Eckold in *compend. Pand. tract. h. t. n. 2.* His omnibus addit. Menoch. *de presump. lib. 6. pres. 23. n. 32.* si factum proprium, quod non est grave aut sumtuosum, per filium aut Procuratorem fuerit expeditum, quod sæpius apud Mercatores contingit. Hi casus & circumstantiæ ita profunt, ut imminuant Juris præsumtionem, quæ aliàs facta sua ignorantibus obstat, & probationem per Juramentum purgationis in contrarium admittant, *arg. c. fin. §. fin. extr. de Rescript. non verò ut probandi onus adversario imponant.* Wesenb. in *ff. h. t. n. 3.* Exceptio tamen est in *l. 25. §. 1. ff. de probat.* ubi adversario probatio incumbit. Hahn. *ad Wes. d. l.*

§. 5. Alieni facti Ignorantia est quando quis nescit, quid alius fecerit, faciat, vel aliàs factum sit. Althus. *Dicaol. lib. 1. c. 11. n. 17.* & versatur vel circa factum ipsum, vel circa facti circumstantiam. Brunnem. *ad l. 1. ff. h. t. n. 4.* qualis error circa facti circumstantiam est, si quis vitiet conjugatam, eam habens pro soluta. Per factum hic intelligimus omne id, quod à Jure est diversum. Costa *de facti scient. & Ignor. inspect. 1. n. 30. v. gr.* Si quis nesciat decessisse eum, cujus bonorum possessio eidem defertur. *l. 1. §. 1. ff. h. t.* aut si quis ex asse heres institutus, nesciat adesse tabulas. *l. 1. §. 3. ff. eod.* It. si quis expositus, quorum parentum sit, ignoret, fortasse & serviat alicui, putans se servum esse. *l. 1. §. 2. ff. eod. l. 3. in pr. C. de Infant. expos. §. 1. J. de Ingen. l. 2. 6. 12. C. de Ingen. manum.* In tali Ignorantia positus erat Jacobus, cum ipsi incio Lea pro Rahele adjungeretur. Hanc etiam Ignorantiam præ se ferebat Plautius Silvanus, apud Tacit. *lib. 4. an. c. 22.* Estque probabilis & tolerabilis. *l. 5. §. 1. ff. pro suo.* cum facti Interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat. *l. 2. ff. h. t. & nemo divinare teneatur. l. 31. ff. ad L. Aquil.* Hæc enim Naturæ impotentia, hic terminus est, posse per quam multa in rebus rerumque singularibus ignorari, ob magnam eorundem varietatem. Hinc qui particularia ignorat invitus agit, & ob id veniam ac misericordiam dignus est. Aristot. *lib. 3. Eth. c. 3.* Egregiam historiam videsis apud Xenoph. *lib. 3. Cyropæd.* de Armeniorum Rege virum quempiam
per

per imprudentiam, ac si filium vitiaffet, interficiente. Adde quòd etiam hic plus sit in veritate quàm in opinione. *l. 15. ff. de acquir. vel omitt. hered. l. 9. §. 4. ff. h. t. §. 11. J. de Legat. ibique Ludvel.* Cautè verò distinguendum inter Ignorantiam facti alieni & inter Ignorantiam alienam, hæc tantùm abest ut profit, ut potius noceat. *c. 10. extr. qui filii sint legit.* Sic si quis sciens emat à non Domino & velit se defendere ignorantiam venditoris, nihil aget. Iniquissimum enim videtur Ignorantiam alterius alii profuturam. *l. 5. ff. h. t. Pacius, Analys. Cod. h. t. n. 8.*

§. 6. Hæc autem Ignorantia non solùm damni incurfionem evitat, verùm etiam acquirere volentibus non obest. *l. 8. l. 9. §. sed & facti ff. h. t. l. 7. C. eod.* [Excipitur rei litigiosæ acqvisitio. Habet enim & contra ignoranter ementem ab alterutro litigantium *l. 1. §. 1. ff. de litig. rem litigiosam, locum exceptio litigiosi. l. f. pr. C. de litig.* cum hoc vitium sit quodammodo reale, adeoque ad omnes transeat, qui eam rem acqvisivere. *Bach. ad Tr. Vol. 2. D. 26. §. 6. lit. A.* Ex hoc tamen Emtor ejusmodi nullum consequitur damnum, cum & unà cum pretio aliam in super. tertiam partem recipiat *d. l. fin. §. 1. C. de litig.*) Hinc nemini nocet Error facti alieni in Contractibus. *l. 9. C. h. t.* scientiam enim & consensum, non Ignorantiam obligari volunt Leges. *l. 3. C. de Tabul. lib. 10. Donationibus. l. 10. C. de donat. indebiti soluti repetitione. l. 6. l. 10. C. eod. l. 9. §. 5. ff. eod. l. 1. ff. de condict. indeb. l. 53. ff. de R. J. Hereditatis petitione, si nesciat quis cognati cognatæque mortem, & sic inter legitima & definita aliàs spatia non petat hereditatem vel Geradam *arg. l. 55. ff. de edil. ed. Dn. Carpz. p. 1. C. 3. def. 13.* In Judiciis, ubi non fatetur, qui errat in facto. *l. 2. §. 7. ff. de confess.* Negotiis gestis. Naturalis enim simul & Civilis ratio svadet ignorantis conditionem meliorem quidem nos posse facere, deteriore non posse. *l. 39. ff. de neg. gest.* In alienatione Feudi prore allodiali. *c. si de Feudo. §. si Vasallus. 2. F. 26. Ludvel. Synops. Feud. c. 17. th. 1. p. m. 350.* In Privilegiis. Sic ignorantia conferri poterit Nobilitas, Civitas, Feudum &c. ita ut ab initio statim concessionis eidem sit Jus quæsitum de quo v. plura apud Carol. Tapiam *in Comment. ad l. f. ff. de Constit. Princ. part. 1. c. 4. à n. 19. usq. ad 39.* Ubi tamen etiam *num. 20.* cum Baldo *ad l. 19. C. de furt. & Molin. de Primog. Hisp. l. 2. c. 7. n. 57.* distingvit inter Privilegium, quod conceditur sub*

con-



conditione ad aliquid faciendum. Non enim constat, an is, cui Privilegium conceditur, factum illud præstandum sit suscepturus: & inter Privilegium, quod, uti loquitur, continet actum perfectum, seu, quod nullo facti respectu ex merâ conceditur gratiâ, ubi Privilegiatus statim à tempore signati Instrumenti plenum & perfectum Jus consequitur. Ignorans præterea non censetur Jus suum remittere, renunciare, vel repudiare. *l. 19 ff. de inoffic. test.* Illi etiam qui in alterius Jus & locum succedunt, justam habent causam Ignorantiæ. *l. 42. ff. de R. J. c. 14. de R. J. in 6to.* Inde heres si rem apud Testatorem depositam vel commodatam ignarus distraxit, de re non tenetur, sed tantum ne dolosè ex alterius detrimento lucrum sentiat vel pretium acceptum, vel Actiones suas præstat. *l. 1. §. fin. l. 2. ff. de pos.* Similiter si prædii hereditarii venditor tributum ignorans non prædixerit, non tenetur ex Emto. *l. 21. §. 1. ff. de Act. Emi.* Non etiam fidejussori nocet solvisse id, quod ignorabat à Domino jam solutum fuisse. *l. 29. pr. ff. mand.* In delictis etiam facti alieni error excusat à pœnâ, Circumstantiarum verò facti à pœnâ ordinariâ. *l. 3 pr. ff. ad L. Fab. de Plag. Carpz. p. 4. Const. 23 Def. 6. n. 6.* modò dolor sequatur. Illud enim Aristoteli verè est. ἀγνοίῳ seu invitum, uti docet pluribus Gifan. in Com. ad Eth. Arist. *l. 3. c. 1. p. m. 163.* Sic in Crimine Incestus à gladii pœnâ excusat. *l. 38. §. 1. ad L. Jul de Adult. l. 68. ff. de ritu nupt.* & extra ordinariè tantum fustigatione ac perpetuâ relegatione reus hujus criminis punitur. Carpz. pr. Crim. part. 2. qu. 72. n. 47. Melchior Kling. de caus. matrim. cap. de Nupt. illic. p. m. 66. Similiter qui falsam monetam ignorantes expendunt, immunitatem consequuntur. *l. 9. §. 2. ibi dolo malo. ff. ad L. Corde fals.* Quo etiam respiciunt verba Ordin. Crim. art. 11. Und wiederum gefährlich und böse hastiglich/dem Nächsten zum Nachtheil/ und wissendlich ausgegeben. Quibus verbis, ut locus pœnæ sit Divus Imperator Carolus V. requirit scientiam & dolum, quem Ignorantia excludit. *l. 50 ff. locati. l. 1. vers. domus C. de fals. mon. v. Carpz. pr. Crim. p. 1. quest. 42. num. 108. seqq.*

§. 7. In omnibus deniqve humanæ vitæ Actionibus Ignorantia hæc non nocet, antequàm sc. negotium sit planè finitum. *l. 7. C. b. r.* Vel per rem judicatam. *l. 36. ff. fam. creisc.* Tunc enim non tantum nocet error, quàm sententia. Cum causa semel decisa velamento erroris

roris non instauretur. *d. l. 7.* hoc enim modo nullus esset litium
finis. *l. 2. C. de re judic.* nisi (1.) Sententia ipsa disertè errorem
exprimat, nam talis sententia est nulla, ut in *l. un. C. de err. calc.*
l. 1. §. 1. ff. qua sent. sine appell. resc. (2.) error dolo adversarii sit
admissus, nemini enim ex delicto impium sibi lucrum adferre
Legibus conceditur. *l. f. C. de reb. cred. Brunnem. ad l. 7. C. b. r.*
ubi addit communem esse Dd. sententiam, in Criminalibus et-
iam erroneam confessionem post sententiam revocari posse. Vel
per transactionem generalem. *l. 19. & 29. C. de transact.* Non
enim minorem auctoritatem transactionum, quàm rerum judi-
catarum esse rectâ ratione placuit, si quidem ita nihil fidei con-
gruit humanæ, quàm ea quæ placuerant custodiri. *l. 2. C. eod.*
Non vero si coactus à Judice transegi *l. 31. ff. de Jurejur.* aut si In-
strumenta mihi subtracta fuerunt. *l. 19. C. de Transact.* aut si ex
falsis Instrumentis sit transactum. *l. 42. C. eod.* Excipiuntur et-
iam causæ Reipublicæ. *l. 35. ff. de re jud. l. 4. C. eod.* & quæ huic
comparantur *cap. auditis extr. de Reslit. in integr. gl. ad l. 4. C. ex*
quib. caus. maj. Dn. Tabor in Analect. ad Barbos. Thes. Loc. Com.
lib. 5. c. 2. ax. 5. & 7. ut causæ pupillares. *arg. l. 3. C. de Jure Reip.*
lib. 10. Ecclesiasticæ. Bald. ad l. 19. C. de transact. In quibus pro-
pter Instrumenta reperta à litis finitione receditur. Vel denique
per Usucapionem completam. Quamvis enim plurimi Dd. in
eâ sint sententiâ, ac si Ignorantia facti omnem omninò Usucapio- 11
nem impediât: Verius tamen & Legibus conforme dissentien-
tium videtur assertum. Quia (1.) omnis penitus Actio, sub qua
etiam omnis persecutio continetur. *l. 34. ff. de V. S. per præscri-*
ptionem tolli, & possidens plenissimâ securitate gaudere dici-
tur. l. 4. C. de præscr. 30. an. l. ult. C. de fund. patr. lib. 11. c. 6.
extr. de præscript. c. volumus 16. q. 4. (2.) expressè etiam omnis
Ignorantia excluditur. *l. fin. & auth. mala fidei. C. de præsc. long.*
temp. Nov. 119. c. 7. (3.) Si ex capite Ignorantiæ admitteretur Re-
stitutio, dubitationis inextricabilis oriretur occasio. *d. l. f. C. de*
præscr. long. temp. finisque Usucapionum, ut scilicet litium esset
finis & Dominia non essent incerta, haud obtineretur. *pr. 7. de*
Usuc. & longi temp. præscr. l. 1. ff. eod. l. 5. pr. ff. pro suo. Quis enim
D
sciens,

sciens, nisi stultus res suas pateretur usucapi. arg. l. 25. pr. ff. de prob. & per hoc lites non consopirentur; sed potius quotidiè emergerent, dum unusquisque Ignorantiam prætere conaretur. (4.) quia tempora præscriptionum sufficere debent Dominis ad inquirendas res suas. pr. ff. de Usucap. qui itaque non inquirat pro negligenti habetur, cui non subvenitur. l. 16. ff. ex quib. caus. maj. & hinc dicit Grot. lib. 2. de J. B. & P. c. 4. n. 6. Fieri vix posse ut multo tempore res ad aliquem pertinens non aliquâ viâ ad ejus notitiam perveniat, cum multas ejus occasiones subministret tempus. Qui itaque suâ culpâ sentit damnum, sentire non videtur, cum alienationi dicatur consentire, qui patitur usucapi. l. 28. ff. de V. S. l. 3. §. 1. ff. quæ in fraud. cred. His omnibus & Legibus & rationibus imponeretur cōtra l. 2. C. Comm. de Leg. ex quæ fierent ludibrio. l. f. C. de temp. in integr. restit. si Ignorantia esset restitutionis causa. Et referunt Compilat. Consult. Sax. p. 2. q. 55. Das sich die Schöppen-Stule verglichen haben die Restitution etiam ob justam Ignorantiam, wann es über 30. Jahr/ Jahr und Tag/ oder auch über 40. Jahr ist / nicht zu sprechen / quod & confirmat Sereniss. Elector Augustus Const. 9. part. 2. addens has rationes: Weil sonst viel præscriptiones aufgehoben/und also die Haupt-Ursachen/darum die Verjährung eingeführet/als nemlich / das der Güter eigenthümliche Berechtigete nicht ewig ungewiß/ und des Zancks und Haders ein Ende sey/verrütet würden/darauf eine grosse Veränderung folgen wolte. Plura de hac controversiâ qui volet, adeat Ferdinand. Vasqv. latissime de eâ agentem lib. 2. Illustr. Controv. c. 75. Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 11. §. 17. lit. A. Wesenb. in Paratitl. ff. tit. ex quib. caus. maj. 25. ann. in integr. rest. n. 9. ibique Hahn. & Ludvel. Arum. Ex. 6. §. 10. Dn. Bechman. Com. ad ff. Vol. 1. part. 1. Ex. 10. p. 2695. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Ex 8. §. 76. & Ex 43. §. 42.

§. 8. Johanna Graja, Johannis Dudlæi Northumbriæ Ducis filia, septendecim annorum adolescentula, quæ post mortem Eduardi VI. Angliæ Regis, persuasione patris Reginam se nominari passa erat, pridie supplicii, manu suâ hæc scripsisse fertur **Errorrem morte dignum esse, sed modum inscitæ apud homines & Leges**

Leges excusationem mereri. Chytr. Chron. Sax. lib. 18. ad ann.
1554. 12. Febr. Verissimum hoc effatum & Jcti nostri calculo suo
approbant, Ignorantiam Facti tam proprii, quam alieni in Vinci-
bilem & Invincibilem dividentes (quamvis & Juris Error ita
distingvatur, quod & supra Sect. 2. §. 13. innuimus) Ignorantia
Invincibilis est earum rerum quæ sciri non poterant, aut de-
beant. Dicitur à Philosophis Antecedens & ante factum effe-
ctiva, quia antecedit actum. Est enim causa illius, ita ut si ipsa non
adesset, Actus non fieret. Ferdin. de Castro Oper. Moral. tr. 2.
disp. 1. punct. 15. n. 2. Ejusmodi Invincibilem Facti Ignorantiam,
cujus nulla notitia specialis aut confusa nec dubitatio menti ob-
repat, non dari putat Gulielmus Parisiensis Tr. de LL. c. 21. refe-
rente Joh. Frid. Horn. de subj. Jur. Nat. cap. 4. §. 7. cujus tamen
opinio apud nullos sortitur applausum, & ipsa quotidiana ex-
perientia contrarium abundè testatur. Hæc verò Ignorantia non
solum prodest in Contractibus. l. 20. ff. commod. l. 29. §. 2. l. 57.
ff. mand. l. 51. ff. de solut. §. 10. J. mand. §. 33. J. de Action. l. 5. C.
de peric. tut. & curat. Sed etiam in delictis à pœnâ immunis est,
tùm per cap. 4. extr. de sentent. excom. tum maximè quod culpâ
vacet. Nam principium in homine quâ tali non est, cum rationi
locus non detur, lapidiqve de tecto decidenti, & hominem occi-
denti similis sit. Felden. ad Grot. lib. 3. de J. B. & P. c. 11. §. 4.
v. gr. cum Cephalus desideratissimam conjugem inter virgulta
latitantem, feram esse ratus interficeret. Ovid. lib. 7. Metam. fab.
28. aut cum Oedipus Patrem ignorans occideret. Diodor. Sic.
lib. 4. hist. c. 66. concurrebat equidem in invitis hisce per Igno-
rantiam actionibus voluntas, sed non ad ultimam Actûs specifi-
cationem. Nunquàm non cum honore nominandus Dn. Lic.
Alberti in Colleg. Ech. Talis itaque Actio invita injuria proprie
dici nequit, & per consequens pœnis non erit vindicanda.

§. 9. Ad hanc Ignorantiam pertinet etiam Error circa virgi-
nitatem, si quis putans se virginem in uxorem ducere, ducat jam
ante vitiatam. Et hic error facit, ut matrimonium ad instantiam
mariti Magistratûs officio rescindatur: tum quòd sponsa vitiata
habeatur pro Adulterâ, & ex lego Divina Adulterii pœnâ ple-

D 3

ctenda.



Etenda. Deut. 22. v. 20. seqq. Dn. Strauch. Diss. 2. §. 21. tūm quod sub conditione virginitatis & castitatis tacitè subintellectā matrimonium fuerit contractum. Dn. Struv. Ex. 29. §. 25. tūm quod iusta Ignorantia nocere non debeat, ut aliquoties monitum; tūm deniqve obl. 11. §. 6. ff. de Act. Emti. Huc facit Nov. Leonis 93. ex quā manifestè apparet Sponsalia aut Matrimonium tale dirimi posse, non quidem propter Leonis auctoritatem, sed potius ob rationes ibi assignatas: *Decernimus*, ait Imp. *ut propter hoc, quo nihil magis matrimonio adversatur, quos sponsaliorum opinio, non veritas copulavit, disjungantur. Quomodo enim vera sponsalia sunt in quibus nihil verum neque genuinum conspicitur? ubi meretricium se offert scelus, ubi causæ sunt disfidiorum & odii, ubi animorum alienatio? (quæ mala acervatim omnia pariter cum peregrino alienoque semine suscipiuntur) quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus, sponsalisque est amor? Quin ut quispiam alterius factum sibi subjiciat, hoc verò ratio non patitur.* Et sic quoque pronunciarunt Jcti Jenenses mense Mart. anno 1598. Dn. Bechman. in Comm. ff. tit. de ritu nupt. observ. pract. 75. Modò maritus ab illo tempore ex quo rescivit scelus hoc, se prorsus ab ea sejunxerit, nec rem cum illā habuerit. Si secus fecerit Mulieri condonasse crimen videtur. Hahn. ad Wesenb. parat. ff. tit. de ritu Nupt. num. 8. Ab hisce dictis dissentit Pontifex 6. un. in fin. XXIX. qu. 1. v. Schneidevv. ad Inst. tit. de Nupt. part. 4. n. 59. seqq. Speckhan. Cent. 2. q. 7. per tot. Dn. Carpz. Jurispr. Consist. lib. 2. def. 187. & def. 193.

§. 10. Vincibilis Ignorantia est earum rerum, quæ sciri possunt ac debent. Appellatur etiam consequens quia aliquem voluntatis actum consequitur. Estque vel Affectata, malitiosa & voluntaria, quæ fit cum electione, quando quis per simulationem aliquid ignorat, id est, si scire potuit, sed noluit. Et scientiæ comparatur. c. 2. verb. affectata Ignorantia de tempor. ordin. in 6. c. 3. extr. de clandest. de spons. c. 7. extr. de pœnitent. & remiss. Vel Crassa, supina & dissoluta, quæ fit sine electione, non adhibitā diligentia. l. 3 in f. l. 6. pr. ff. h. t. l. 15. §. 1. l. 43. §. 1. ff. de contrab. emt. l. 55. ff. de edil. Ed. c. 2. de Constit. in 6. Ad hanc verò diligentiam non

non requirimus delatoriam curiositatē & scrupulosam inquisitionem *l. 6. ff. b. t.* sed eam scientiam, quæ neque curiosissimi, neque negligentissimi hominis est, & ejus, qui rem diligenter inquirendo notam habere potuit. *l. 9. §. 2. ff. b. t.* Talismodi crassa est Ignorantia, si quis id, quod omnibus in Civitate est obvium, solus ignoret. *d. l. 9. §. 2. ff. b. t.* & ferenda non est. *l. 6. ff. eod.* Notorium enim tollit Ignorantiæ præsumptionem, quam si quis velit prætexere, tam dissoluta erit negligentia, ut scientiæ comparetur, atque ex eâ culpa lata oriatur. Felden. ad Grot. *lib. 3. de J. B. & P. c. 11. §. 4.* sciri enim facile est, ut præsumantur, quæ conspicua sunt ac frequentia, idque quod à multis fit, necesse est à nemine ignoretur, ait Dion Prusænsis apud Grot. *lib. 2. de J. B. & P. c. 1. §. 2.* Ejusmodi etiam crassa est Ignorantia, si quis id nescit, quod ratione officii sui tenetur investigare. *l. 5. ff. de reb. cred. l. 1. C. de fals. monet.* Pudendum igitur fuit, quod Renatus Biragus Galliæ Cancellarius, cum verba in comitiis Regni ad statum essent facienda, rerum Gallicarum Ignorantiam prætexeris, initio sese excusaverit. Thuan. *Hist. lib. 63.* Sic non potest esse Pastoris excusatio, si lupus Oves comedit, & Pastor nescit. *c. 10. extr. de R. J. ad. c. 20. extr. de Elect.* Hinc peccat, qui Episcopi, seu Doctoris Ecclesiæ munus suscipit, nescitque eaque ratione officii scire tenetur. Dn. Ziegler. *ad Lancell. Inst. Jur. Can. lib. 1. tit. 12. §. 7. pag. 88.* qui etiam ibidem ex Sozomeni *lib. 4. c. 23.* refert: Neonem Seleuciæ Urbis Isauriæ Præsulem ab officio fuisse remotum, quod nonnullos Sacrarum Literarum, Ecclesiæque Canonum, ignaros, Episcopali muneri præfecisset. Præprimis eorum Ignorantia non est tolerabilis, qui Jura profitentur. Turpe enim est Patricio, & nobili, & causas oranti Jus in quo versatur ignorare. *l. 2. §. 43. ff. de O. J.* De quæstione an etiam Judicandi munus Legum imperitis mandari possit v. Hotoman. *Ill. quæst. 28 p. m. 167.* Hanedæ. *Exerc. Imp. 30. qu. 2. p. 658.* Similiter & error Medicorum Actioni L. Aquiliæ pro resarciendo damno locum facit. *§. 7. J. de L. Aquil. l. 7. §. ult. l. 8. pr. ff. eod. l. 9. §. 5. ff. locati.* Quamvis enim Medico eventus mortalitatis imputari non debeat: si quid tamen per negligentiam aut imperitiam commisit,

omninò ei imputandum est, neque prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium esse debet. *l. 6. §. 7. ff. de Off. Præs. Similis supina & crassa Ignorantia ejus est, qui cum alio contrahit, estque ignarus conditionis ejus. l. 19. ff. de R. J. l. pen. ff. ad S. Ct. Maced. Modò non habeatur publicè pro tali qualis videtur ipsi contrahenti. l. 3. pr. ff. ad S. Ct. Maced.*

§. II. Nec illi à supinæ Ignorantiæ culpâ immunes sunt, qui, licet non per Ignorantiam agant, Ignorantes tamen delinqvunt, quales sunt ebrii peccantes. Qui, quamvis sese excusare velint ob ebrietatem, non sunt audiendi, allegarent enim propriam turpitudinem. *l. 30. C. de Transact. Hinc vocatur ebrietas fomes vitiorum & nutrix errorum. c. ante omnia dist. 35. c. Sanè 15. q. 1. c. tumultuoso. dist. 35. Culpa etiam in ebrio, dante operam rei illicitæ casum præcedit, quæ semper est noxia. l. 6. C. ad L. Jul. de vi publ. l. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil. l. 27. §. 9. & 33. ff. eod. c. un. extr. de commod. c. 2. de depos. Et licet eorum ignorantia invincibilis sit in se, est tamen vincibilis in suâ causâ. Malderus. Com. in Thom. 1. 2. q. 6. art. 8. Hinc regula Moralistarum: In voluntarium ex voluntario ortum habens, moraliter pro voluntario habetur. Accedit, quòd publicâ Imperii Lege Ebrietas sit prohibita, in Comit. August. 1500. 1530. & 1548. sub tit. de competat. vom Zutrincken. Crimen autem in Ebrietate aut aliâ Erroris dissoluti specie commissum, tam severè ac ea quæ à scientibus perpetrantur, puniendum non est. l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 5. §. 2. ff. de pœn. Si quidem isthæc Ignorantia excusationem à dolo præstat. l. 1. §. 2. ff. de dolo malo. Dn. Carpz. pr. Crim. part. 1. q. 42. num 108. Aurea & digna quæ adscribantur verba sunt, Viri sui nominis H. Grotii. lib. 2. de J. B. & P. c. 20. §. 26. In delictis quæ per Ignorantiam, quamvis culpâ omni non carentem, aut per animi infirmitatem superabilem quidem, sed difficulter superabilem committuntur, Christianus hominum rector maximè respicere debet ut Deum imitetur, qui in veteri quidem fœdere multa talia hostiis quibusdam expiari voluit. Levit. 4. & 5. at in novo fœdere verbis & exemplis testatus est se ad talia respicientibus condonanda esse facilem. Luc.*

23. v. 34. Hebr. 4. vers. 15. t. 5. vers. 2. 1. Timoth. 1. vers. 13. Et quidem illis Christi apud Lucam verbis, condona illis Pater. quia nesciunt, quid faciant, adductum Theodosium, ut Antiochenis ignosceret, notat Job. Chrysostomus. v. ejusd. Grot. not. ad lib. 2. c. 24. §. 3.

§. 12. A pœnæ mitigatione non immeritò Jctus in l. 38. §. 5. de pœn. excludit eos, qui amatorium poculum dederunt, quo homo periit. Quamvis enim Aristot. Magn. Moral. lib. 1. c. 17. referat: Mulierem quandam quæ alicui philtrum propinaverat, quo is fuerat sublatus in Areopago absolutam fuisse, ea de causâ, quòd mortem ejusdem non intendisset. Amoris siquidem cupidine accæcata id fecerat, ut servaret sibi potius hominem, quàm ut perderet. Ex quo infert Philosophus: ubi animus delinquendi non est, ibi nec pœnam esse debere, quia ea tantùm crimina puniuntur, quæ sunt voluntaria. Respondet tamen Jctus in d. l. 38. §. 5. ff. de pœn. non quidem negando in pœnis irrogandis primariò inspiciendam esse delinquendi voluntatem, ideo tamen nequam extra considerationem ponendum, quòd amatorii poculi propinatio res mali sit exempli, & præbens poculum nosse debeat, plerosq; ejusmodi philtris è medio tolli, quemadmodum ipse Lucullus, ut Lucretium præteream, cui Callisthenes libertus, quo validius ab ipso amaretur, ejusmodi pharmaca amatoria præparaverat, vitam finivit, ceu ex Corn. Nepote refert Plutarch. in vitâ Luculli Malum autem exemplum facit, ut delictum gravius puniatur. can. præcipuè XI. q. 3. arg. l. 16. §. 10. ff. de pœn.

§. 14. Ad probationem deniqve Facti Ignorantiæ procedamus, ad quam eliciendam oppidò necessariæ videntur superius allatæ distinctiones. Cum itaq; Ignorantia Facti alieni allegata in Judicio facilè præsumatur. l. f. §. 1. ff. pro suo l. 11. ff. pro emt. l. 42. ff. de R. D. Dn. Tabor in Analect. ad Barbos. l. 9. c. 3. ax. 5. ubi quasdam habet exceptiones. vid. etiam Vigel. Dialect. Jur. lib. 3. tit. de presum. question. facti, reg. 6. Contrarium (scientia scilicet, & quæ ei comparatur supina & affectata Ignorantia) ab adversario probandum venit, c. 47. de R. J. in 6to. l. 21. ff. de probat. siqve id Adversarius probare nequit, eo ipso probatur Ignorantia. l. 6. C. qui milit. poss. vel non poss. lib. 12. ubi Gotofr. Cum enim deceat suis potius rebus incumbere, quàm aliorum Actio-

nes

nes curiosè rimari, ideò jura in allegatâ Ignorantiâ acquiescunt,
donec adstruatur contrarium. Dn. Beier. ad Schnob. *Disp.* 13. §. 32.
Quod etiam in Camerâ ad decernendos & obtinendos Processûs
observari testatur Gail. *l.* 2. *Obs.* 46. n. 8. Quandoqve tamen et-
jam facti alieni Ignorantiam alleganti Juramentum deferri pot-
est, quod ex arbitrio Judicis dependet. *c.* 4. *extr. de sent. excom.*
c. in lectum. 34. q. 2. *c.* 6. *in fine extr. qui matrim. accus. poss.* Dn.
Ziegler. *ad Grot. de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 4. §. 6. p. 257. Modus pro-
bandi ignorantiam facti proprii est vel plenus, vel minus plenus.
Ille fit per Juramentum. Est enim quoddam intrinsicum in ani-
mo consistens, qualia Juramento probari debent. Gail. *lib.* 2.
Obs. 48. num. 23. Jacob Schultes *Loc. Com. verb. Ignorantia* Dn.
Carpz. *pr. Crim. part.* 2. *qv.* 56. n. 67. & *qv.* 61. n. 50. Semiplena
probatio fit Conjecturis. *c.* 6. *extr. qui matrim. accus. poss.* de qui-
bus v. latè Francisc. Hercul. Perusin. & Martin. de Fano.
Tract. de probandâ negat. num. 275. p. 209. seq.

Tantum!


S. D. G.



X 2615905

lcm







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

B. V. 1671, 15 34

JURIDICUS,
DE

FACTI ANTIA.

em.
consultorum Or-

nuate
ROCINIO
di, Pranobilissimi, Amplis-
tque Excellentissimi

MÆI LEONHAR-
DENDORFFERI,

Codicis Professoris Publi-
ac Facultatis Juridicæ Assessoris me-
ensis Canonici & Academiae De-
gravisimi,

oris atque Præceptoris sui
m atatem prosequendi,

publico sistit
HIUS, Lignic. Sil.

tor
Ctorum Petrino

Anno 1671.

MIANI MICHAELIS.

Mon. Die...

